

haereant, id experientia prisca, nostrique, aevi evincit. Malunt enim exilia sustinere, bonisque, & vita adeo, qua nihil habemus charius, privari, quam cum laesa veritate in gratiam redire. In istis namque exultant insigniter, & quam produnt, obfirmati in erroribus animi, contumaciam, haeroicae testimonium fidei, causaeque verae, & sanctae, interpretantur. Georg. Cassander, Opp. p. 1208. auctor est, Anabaptistas mortem ultro expectere, eademque ceteros non modo non deterreri, sed etiam animari & confirmari. Quaecumque, ad expugnandum errorem, consilia afferuntur, rident plerumque, altoque supercilio contemnunt, sibimet solis sapientes. Quid? quod saepe numero in istas cum suis sententiis angustias redigantur, ut veritati amplius obloqui nequeant, sed suam confiteri convictionem necessum habeant. Palinodiam tamen frustra ab iisdem expectabis. Testem sisto famosum Chiliastram Seidenbecherum. Satis ergo habuit causae Erasmus Alberus, quamobrem ita de Anabaptistis scriberet: *Drumb schreibe ich nicht wieder der Wiedertäuffer Greuel, der Hoffnung dass sie sub werden bekehren, sondern um derjenigen Willen, die sich noch nicht haben lassen verführen, und die unsern zu stärcken &c.* Et iterum: *Wenn die Wiederteuffer hören könnten, und drauff merckten, wie man ihre Greuel wiederlegt, so were ihnen zu belffen, aber sie sind so mutwillig und verstockt wie die Juden, dass sie alles verspotten und verachten, was man ihnen sagt.* Haec Alberus, Theologus gravissimus, in quibus simul mores reliquorum Fanaticorum depinguntur. Nam si unum noveris, omnes noveris.

§. VIII. At enim repetendae erunt paullo altius eius rationes, quas mihi deprehendisse videor, partim in Fanaticismi Professoribus, partim in indole Fanaticorum, partim in Fanaticismo ipso. Illi mediis utuntur, & Moralibus, & Phycis, quibus homines suos faciunt, suisque conciliant partibus. Ad Moralia refero pietatem, quam simulant. Nam cum pietas omnibus hominibus ab ipsa natura commendata est, dici profecto nequit, quantopere per eandem animi humani capiantur. Et ausim affirmare, ex praedudiciorum, quae nominant, genere, illud efficacissimum esse, quod a pietatis specie sumitur. Hominem